

# IOACHIMI

TYDICHII BERLINENSIS, POETAE,

EX TEMPORANEORVM CARMINVM LIBRI

duo, quorum prior Ecclesiasticorum, posterior vero

Civium quoquidam clarorum, & incolarum

ANTVERPIENSIVM, complecti-

tur Encomia, æternæ posteritati & im-

mortalí memoríæ consecrata.

Adiecumus & huic labori adornatam quandam celeberrimi  
regijque Emporij Antuerpiani descriptionem, carmine  
subitaneo, cum nonnullis alijs lectu iucundis,  
acceleratam, ab eodem Poëta.




ANTVERPIAE.

Excudebat Ioannes VVithagius

M.D. L XXIII.

IOACHIMI  
IN FASCI CVLVM EXTEMPORANE O:  
RVM CARMINVM, EXIMII POETAE, IOACHIMIKI  
Tydichij, Berlinensis, artium & Philoso-  
phic Magistri, carmen Christopho-  
ri Palenij, Lusitan.

**R**OMA suis quondam florebat clara Poëtis,  
MANTVA fatidicos & dabat alma Duces.  
Iam primas GERMANA tenet sine iudice, tellus,  
Vatibus & doctis sola beata nitet.  
Sue peras Nasoris opes, doctis Maronis  
Flumina, sue iocos, magne Tibulle, ruer.  
GERMANOS inquire focos, divinag, cernes  
Numina, Laurigeris insiuata Viris.  
Quos inter teneri sub flore TYDICHIVS anni,  
MARCIACI fulget lux IOACHIMVS agri.  
Carmina Pelignis qui versibus amula cantat,  
Natus ad Aonij numina blanda chorii.  
Dum celeri fundit cultos ex tempore versus,  
Quos ego vel longi temporis esse putem.  
Digna tamen grauitas, & culte gratia vocis,  
Magna sonaturi candor & oris adest.  
Felices igitur, tanti quos Musa Poëta  
Ornat, & aeterna nobilitate beat.  
Scilicet aurat & pereunt diademata gemmae,  
Gloria, quam tribuet Musa, perennis erit.



ANNAEGBIE.

Ex libris Iohannis Melpigni

M.D.XXIII.

# REVERENDISSIMO IN

CHRISTO PATRI, EMINENTISSIMO  
ET CLARISSIMO DOMINO, D. FRAN-  
CISCO SONNIO, EPISCOPO ANTVERPIA-  
no, Sacrosancta Theologiae Doctori, & Mecenati  
fuo ornatissimo. &c.

S. D. P.



Vo es animi candore, morumque comitate, boni consulas oportet, Antistes eminentissime, quod fasciculum nostrum, in cultis connexum versiculis, tibi inscio & tale nihil suspicanti inscribere non formidauerim. Adeo enim me huius consilij inceptique non pudet poenitentque, ut rectissime mihi fecisse videar, qui te insalutato inconsultoq; hoc egerim, ne pro tua (qua omnes nostri exulcerati saeculi vincis Antistites) modestia & dexteritate forsan prohiberes, quod in pietatis commendationem, & in virtutis tuæ diuulgationem construi compерisses. Ita enim omnium solidè doctorum piorumq; Virorum se habent ingenia, ut penitus ab Encomijs abhorreant, fugiantque, & cum laudanda pleraque faciant, laudari tamen se æquanimiter non ferant. Et certe, hoc quod impudentiae & liberioris audaciæ in hoc inscriptio- nis genere arripuerim, vix aggredi ausus fuisset, nisi de tua singulari humanitate, & liberali modestia, communis clarorum Virorum fama plurimum apud me fidei, & authoritatis conciliasset. Cui enim rectius praesentis opusculi tutelā & patrocinium attribuisse, quam tibi, Ecclesiastico Antistiti apprimè eruditio & solerti, qui præter eximias atq; adeo generofas naturæ tuæ dotes, zelo diuini honoris, moribus inculpatis, præstanti facundia & eruditione, celebrique pietate conspicuus & egregie illustris plurimum commendaris? Laudabunt alij alia, eademque insignia Dei dona cumulatim in te effusa

venerentur, ament & suspiciant: ego perpetuū illud & amabi  
 le studium bene de omnibus merendi , nocendique nemini,  
 silendo præterire non possum: Non solum enim tua solerti in  
 digentibus opera assabilem, mitem, & placabilem temet exhibe  
 ses, sed etiam tua pro virili & singulari animi mansuetudine  
 quoscunque afflictos & egenos ( qui te ceu numen veneran  
 tur & magnificiunt) iuuare contendis , & largiter prouehere  
 elaboras. Quinetiam bonarum literarum profesiones & disci  
 plinas mira facilitate & promptitudine complecteris , tuamq;  
 opem , præsidium & defensionem in omnes , qui conantur  
 aliquid egregium, munificenter declaras : Hinc mentem no  
 stram subijt, vt tibi Ecclesiastico Præsuli , omnibus virtutum  
 generibus ornatisimo , tanquam Deo tutelari, subiectos labo  
 res inscriberem, tuoque nomini dicarem. Accipe igitur, An  
 tistes vigilantissime, quidquid id est, tuo inscriptum nomini, &  
 pietati tuae, tanquam æternum tua erga doctos munificentie  
 indicium, presens opusculum dedicari patiare. Nouum enim  
 illud scribendi genus non est, sed & antiquorum scriptores  
 solebant (vt omnibus perspectum est) ad nouos partus nouos  
 Patronos eligere, quorum auspicio ipsis libris quoddam ro  
 bur atque authoritas accederet. Sed dices, parua sunt que par  
 turijsti, nec patrocinij nostri merentur auxilia. Parua sunt equi  
 de, fateor, tantoque vix Præsule digna: sed memineris, agrico  
 las Dijs lacte supplicare, & non habentes thura, mola falsa lita  
 re solitos, eosque non minus superis, quam qui opibus affluen  
 tes, opima cumulatim apportarunt honoraria, placuisse. Porro  
 rusticorum exemplum hic imitari libuit, qui cum essent immo  
 laturi bouem Herculi, isque rupto fune aufugisset, nec  
 esset, quod sacrificaretur, pomo arrepto, additisque quatuor  
 stipulis pedum vice, alijsq; duabus cornuum vice, bouem vt  
 cunq; sunt imitati, idq; ridiculum simulachrum pro victima sa  
 crificarunt. Horum tamen stultitiam adeo Herculem non of  
 fendit, vt Pomarius appellari voluerit. Sic ego cum nil habeam  
 tuo

D E D I C A T O R I A.

tuō numine dignum, hoc te pōmo muneror, quod si tu placide  
huinaniterq; sumes, felicius mecum actum iri confido, quam si  
trecentos Hercules demeream. D E V S æternus Pater Ser-  
uatoris nostri, natiq; infantuli I E S V C H R I S T I, T.  
Patern. diu nobis in columem conseruet, corporisq; & animæ  
viribus confirmet, augeatq;, qui felix istius noui ingredientis  
anni auspiciū, feliciorē progressū, & felicissimū exitū  
T. Reuerendæ Amplitudini, & omnibus in Christo fidelibus  
clementer largiatur, donet, & propitiū contribuat. Ex inclyta  
Antuerpia, iplis Calendis Ianuarij, Anno M. D. L X X I I.

FRANCISCUS SÖNNIUS EPISCOPO

THEOLOGIUS AMALIAEENSIS SINE

REVERENDISSIMA PLACITA

AMPLITUDINI T.

deditissimus.

M. Ioachimus Tydichius,  
Berlineñsis, Poëta.



IOACHIMI TYDICHII, BERLINENSIS  
Extemporaneorum Carminum  
LIBER PRIMVS.

REVERENDISSIMO ET CLARISSIMO PATRI, D. D. FRANCISCO SONNIO,  
Episcopo Antuerpiano ornatissimo, sacrarumque  
literarum Doctori egregio positum *adpositio*, cu-  
ius hic sensus ex literis initialibus colligitur:

FRANCISCVS SONNIUS, EPISCO-  
PVS ANTVERPIENSIS, THEO-  
LOGIAE DOCTOR. SINE  
ONERE NIHIL.

F Ortia dum reliqui depingunt prælia vates,  
R egalesque canunt, bellica signa, tubas.  
A ut dum lasciuos Veneris pars cantat amores,  
N umina sollicitans vana, Deosq; vagos.  
C onscius ipse mibi, suspiria tristia duco,  
I ngeminansq; meos defleo sœpè dies.  
S tulta quibus Paphiae merui commercia Diue,  
C assibus immersus, sœue Cupido, tuis.  
V el, quibus ingenij dispendia plurima feci,  
S ordibus adscitus, Bacche nocive, tuis.  
S ed quia me Virtus alio nunc dicit euntem,  
O ptima commonstrans, & fugienda docens.  
N unc igitur furtiva Venus, lasciue Cupido,

Num.

N umine tuq; tuo, Bacche iocose, vale.  
 I nmelius transire iuuat, fructumq; perennem  
 V iribus ingenij conciliare mei.  
 S cilicet ad gelidi fugientia littora Schaldis,  
 E ximia rutilans Vir pietate sedet.  
 P ontificis titulo, mitraque biuertice fulgens,  
 I gneus ut rutilo Solmicat ipse polo.  
 S ONNIVS a magno ducens primordia Phæbo,  
 C um quo coniunctum nomen & omen habet.  
 O vtinam liceat, virtus ceu digna meretur,  
 P ræfuslis & tanti dicere facta senis.  
 V elle tamen laus est, licet ipsa potentia desit,  
 S itque satis, vires exhibuisse suas.  
 A summis clarum traxisse parentibus ortum,  
 N on leue terreni munus honoris habet.  
 T urpe tamen, patrium genus obscurare, putatur,  
 V irtutemque pudet non habuisse. Duce.  
 E rgò decus merito preciosius illud habetur,  
 R uris ab inculto stemma tulisse simu.  
 P rincipibusque viris æqui virtute parari,  
 I n virtijs summum quam celebrare genus.  
 E t veluti proles aquilæ generosa ferocis,  
 N on stupet ad radios, Phæbe coruscet, tuos.  
 S ONNIVS haud aliter PRAESVL, patre natus agresti  
 IS te Sacer, summum cœpit ad astra gradum.  
 T ranseat ergo gradus Clio facunda per omnes,  
 H auriat & tanti facta statumque Viri.  
 Eins

IOACHIMI TYDICHII

- E ius ab auxilio pugnans ECCLESIA pendet,  
O btinet, & tanto sub patre castra locat.
- L egitimumque DUCEM vocat, qui strenuus aram,  
O cia non equidem desidiosa, colat.
- G rataq; dispersis ouibus qui pabula monstret,  
I njiciens pauido pharmaca sana gregi.
- AE ternaeq; docens quæ semita vera salutis  
D irrigat errantes, ad sacra prata, greges.
- O nimium felix ANTVERPIA, terq; beata,  
C uius habent tantum templa corusca DUCEM.
- T ristia vicino num prælia cernis in agro?  
O mnia crudeli nunquid ab hoste flagrant?
- R est tua nunc agitur, paries quia proximus ardet,  
\* S orpserat à falsis qui leue dogma viris.
- I ste sed integrum cœlesti voce salutem  
N unciat, & veras dicit inire vias.
- E rgò tuum, quacunq; potes vel parte vel arte,  
O mnibus huncque modis, conciliato DUCEM.
- N am si Doctorem male grata perosa fidelem,  
E xcipies falsos, dogmata vana, Deos.
- R obore quam subito capies priuata ruinam,  
E sque per hostiles dilanianda manus.
- N unc superest, FRANCISCE, senex doctissime, SONNI,  
I nter honoratos gloria prima viros.
- H erculeos patiens discas vt adire la bores,  
I niunctumque tibi contolerare iugum.
- L eniter extremis vt laus tua nota sub astris,  
Fulgeat, & fama non pereunte micet.

AD

LIBER PRIMVS.  
AD INSIGNIA EPISCOPALIA, REVE-  
RENDEISSIMI PATRIS E T DOMINI , D .  
FRANCISCI SONNII, EPISCOPI ANT-  
uerpiensis <sup>anposixor</sup>, cui hi census:  
SONNIUS VIVAT ET VALEAT SONNIUS.



S O N N I U S Antistes, facundo s O N N I U S ore,  
O mnigena Præful dexteritate nitens.  
N on gerit absurdo hæc depicta insignia casu,  
N umen enim tacitum, si mediteris, habent.

B

Inspice

IOACHIMI TYDICHII.

I nspice formosō rutilantem lumine solem,

V t melius nigro fulgeat ille sinu.

S cilicet vt nigras aurata luce tenebras

V incit, & illustri reddit ab ore diem.

I nueclasque vago pluias fugat aureus orbi,

V ernantique nouum suscitat igne solum.

A rdua sic dulci resonans mysteria sensu,

T incta venenato dogmate corda leuat.

E xcusisque fide tenebris operante salutem,

T utaque, sub C H R I S T O vindice, regna seruit.

V isne crucis ternas niueoque colore nitentes,

A rea quos nigro suscipit ampla sinu?

L audatos mores referunt, vitamq; pudicam,

E t niueum purae religionis opus.

A dde tamen niueas mansueti peccatoris artes,

T urpe quibus facinus, saeuus angue, fugie.

S ONNIUS ergo Dei Praesul fidusque minister,

O ptima commonstrans pascua, letus agat.

N estoreosque senex traducat molliter annos,

N omen at aeternum, post pia busta, gerat.

IV nctus vt insigni super aurea sydera soli,

S ONNIUS imperium cum Ioue dulce gerat.

REVE,

LIBER PRIMVS.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI,  
Virtute & vitæ integritate eminentissimo Domino, D.  
GUILHELMO GRAVIO, insignis monasterij Diui Mi-  
chaëlis, ordinis Præmostratensis, intra Antuerpiam,  
Abbati optimo, <sup>apostolov</sup>, cuius hic sensus ex  
literis initialibus cognoscitur, GUILHEL-  
MVS GRAVIUS DIVI MICHAE-  
LIS ABBAS VIVAT.

Gloria te merito florens, clarissime GRAVI,  
Virtutum celebri conditione beat.  
Inter honoratos tibi quæ non infima fratres,  
Laudis ut emeruit gratia, sceptra dedit.  
Horrida namque fugis mundane retia vitæ,  
Est studium veræ simplicitatis amas.  
Lunaque nocturnos seu pallida proferat ignes,  
Maximus aut toto luceat orbe dies.  
Vocibus assiduis, precibusq; gementibus asper,  
Solicitas summum, spe penetrante, DEVM.  
Gratiaq; pauperibus præbes alimenta benignus,  
Rite tuum si quis poscit egenus opem.  
Additum quod imperium prudenti lance ministres,  
Viribus & summis tradita sceptra geras.  
Ipsa etenim rerum experientia, docta magistra,  
Visibus excoluit, te Vigilemque dedit.  
Dicitur ergo quater, tantum quæ nacta Magistrum,

IOACHIMI TYDICHII

I ngenue felix, terque beata domus.  
V ix etenim quisquam melius, (nisi gloria fallat)  
I mperium potuit qui retinere, fuit.  
M agna quod assequitur Pietas, duroque laboris  
I uncta fides, tanti dona beata viri.  
C uius corda carent fuso, mens conscientia recti,  
H austra sub insigni religione, nitet.  
A c veluti Comitem virtus generosa potentem  
E rigit, & summum donat habere locum.  
L uida sic Pietas, virtuti iuncta sorori,  
I statuae fidei sceptra gradumque dedit.  
S ic igitur pergas, ut cum transacta laboris  
A rea, perpetuo laudis honore mices.  
B landa, vigens equidem Virtus, per munera vatuum,  
B ellica disperdat res licet omne, manet.  
A ttibi iucundae superi dent stamina Vite,  
S ublimemque vehant te super astra senem.  
V tq Sybillinos traducas molliter annos,  
I pse tuos foueat, qui regit astra, dies.  
V iuat at interea, memorabile semper in aeo,  
AT tritum nullo nomen ab hoste tuum.

REVE-

REVERENDO, VIRTUTE, LEGVM  
sacrarum cognitione, grauitate & pietate clarissimo  
Viro, D. RVDGERO A TAXIS, Iuris V. Doctori, Lo-  
uaniensis Preposito, Antuerpianeq; Ecclesiarum Decano  
et Officiali magnifico, <sup>u</sup>pos*ix*er, cuius sensus ex  
literis initialibus colligitur, RVDIGERVS

A TAXIS, IVRIVM DOCTOR,

OFFICIALIS ET DECANVS.

R *Iuulus ut largis præceps dilabitur vndis,  
V nit & immensas sapè tenellus aquas.*

D *iuite sic nobis Virtus tua candida cornu  
I mminet, & cumulum nobilitatis habet.*

G *rata sed eloquij desit quia copia nostri,  
E rro, nec incæptas audeo ferre vias.*

R *obore te primum solido stirps ornat auita,  
V nica maternæ lux, RVDIGER E, domus.*

S *ublimemq; tibi patrio de sanguine laudem  
A ddit, ut illustri conspiciare loco.*

T *uta tamen magis est Virtus, quæ fulgida nomen,  
A X e velut medio vexit ad astra, tuum.*

I *ntima quæ varijs Virtus regionibus ampla  
S plendet, ut ornatu lucida gemma suo.*

I *dq; docet grauium præstans censura Virorum,  
V erticibus fasces qui tribuere tuis.*

R *ECTOR ut in celebri gereres data sceptrta Lycae,  
I tala quod s TUDII fertur amica PARENTS.*

V *t taceam quantis moderator CAROLVS orbis*

IOACHIMI TYDICHII

M aximus, ornarit teq; tuosque bonis.  
D igna serenato præbens sacraria vultu,  
O mnigena motus dexteritate tui.  
C ausa tamen tanti fuit impulsu fauoris,  
T uta per hostiles gloria docta, Viros.  
O cia namque puer iuuenili flore perosus,  
R ite Medusæas es veneratus opes.  
O rabis ob id varios perlustrans impiger agros,  
F ertile iudicium naclus es ipse tuum.  
F amosasque petens studio non deside terras,  
I ngenium vires cœpit habere suas.  
C reuit & authoritas, prudensque in pectore virtus,  
I psaque maiestas & probitatis amor.  
A st ego quid memoro toti notissima cœlo?  
L uget adhuc tantum terra BONONA virum.  
I nq; dies repetit, tantum quo naclia Magistrum  
S ceptra regi videat tam bene culta scholæ.  
E t non immerito: sparsis quia mœsta capillis,  
T urbine ceu rapido dilaniata ruit.  
D um PIETAS Latio DOCTOREM cedere regno,  
E t patrio iussit dicere iura solo.  
C uius honos omni mansurus tempore viuat,  
A eternumq; gerat, post pia busta, decus.  
N ostraque posteritas, sero ventura sub ævo,  
V t decet, hunc recti diligat usq; Ducem.  
S unma DECANATVS, memorans, qui sceptra gerebat  
I nchytus à TAXIS, quem veneremur, erit.

REVE.

LIBER PRIMVS.

REVERENDO SENI, LIBERALITA-  
te, pietate & Virtute clarissimo Viro, D. PETRO A DAELE,  
Decano Alostensi, & Canonico Antuerpiano &c. Do-  
ctorum Mecænati munificentissimo, *ανθρωπίχον*,  
cuius hic sensus ex literis initialibus colligitur,

P E T R U S A D A E L E D E C A N V S

A L O S T E N S I S S E N E X ,

V I V A T .

P E T R E senex, magni non infima gloria Phæbi,  
E gregium generis lumen honorque tui.  
T e quoties tremulum senio contemplor inertim  
R orantes vitæ persoluisse dies.  
V ita mihi toties fugitiua videtur ut umbra,  
S pargere nodosis nil nisi damna malis.  
A egra senescentis nam cum venit hora diei,  
D ebile prorumpit siue laboris onus.  
A nxia succedunt varijs suspiria morbis,  
E t lachrymæ nostras concomitantur opes.  
L anguor at infestum sequitur cum funere corpus,  
E xcubiasque graues mors gerit ante pedes.  
D extera sic morbos, & habet sic leua dolores,  
E xitus hinc igitur nil nisi damna trahit.  
C autus ob id fugiens mundani carceris umbras,  
A ppétis æternas, P E T R E , salutis opes.  
N odosas dum spernis opes, dum gaudia mundi

Vincis,

IOACHIMI TYDICHII

V incis, & immota tendis ad astra via.  
S cilicet insignes tibi cùm fors candida Gazas  
A uixerit, vt possis dñior esse Myda.  
L ataque multiplici niteat tua messis in auro,  
( O rgana quod magni s̄epe dat ampla mali.)  
S tulta tamen cupidique Myde, Cr̄esique superbi  
T elafugis, sanctis perniciofa viris.  
E t quod fulgidulo condit tua cista metallo,  
N uncupat Aonijs id tua cura choris.  
S tructa LOVANIA C AE velut ampla theatra iuuent.  
I p̄sa docent, loculis clarificata tuis.  
S umptibus illa tuis fundo constructa subimo,  
S plendida PETREIA nomina VALLE gerunt.  
E lysium sic ergo nemus, vallisque beatæ  
N umina te foueant, post pia busta, s̄enem.  
EX eat interea rutilis laus nota sub astris,  
V iuat & immenso nomen in orbe tuum.  
I ngenuo renouas & dum sacraria sumptu,  
V ALLE sub æterna sit tibi sancta quies.  
A urea perpetue capias & gaudia pacis,  
T erra suum condet quandò lntosa SENEM.

VENE.

REVERENDO PATRI, PIETATE,  
 Virtute & mansuetudine clarissimo Viro, D. IACOBO  
 VELTACKERO, celebris monasterij THONGERLOANI  
 in campestri Brabantia, ordinis Præmonstraten sis,  
 ABBATI integerrimo, vnico Doctorum  
 Mecænati, honorarium Poëticum  
 & immortale.

**D**Vulce Brabantinæ decus & non infima terræ  
 Gloria, Pierij gemma, IAC OBE, chori.  
 Fama per immensum (memini) memorab ilis orbem  
 Naturæ spargit plurima dona tue.  
 Téque probat niueum niueæ Pietatis alumnū,  
 Magnificis iungi nomine posse viris.  
 Sed si fortè tuis præconia laudibus addam,  
 Propositum poterit fine carere meum.  
 Nam tu a te PIET A S, doctæque scientia mentis  
 Euehit, illustri constituitq; loco.  
 Non leuis ambitio, non impius ardor habendi,  
 Nec tua ventosus pectora fastus agit.  
 Candida sed virtus, Pietas & candida mores  
 Euehit, & niuea cum probitate, tuos.  
 Nec tibi dinitias & auarus congeris aurum,  
 Largus habes promptas ad pia dona manus.  
 Et velut excelsi manans è vertice montis,  
 Præbet inexhaustam vena perennis aquam,

IOACHIMI TYDICHII

Sic largiris opes, & in illos munera confers,  
A quibus æternæ nomina laudis habes.  
Ergò viue diu, siquidem tu viuere dignus,  
Teq; legat oriens, occiduusque dies.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI,  
clarissimo ac integerrimo Domino, D. AEGIDI O, Abba-  
ti Euerboiano candidissimo, & Mecænati suo.

**C**andide NORBERTI Præses & gloria sancti,  
AEGIDI fidei portus & aura sacrae.  
Tu decus es terræ, gemini tu gloria cœli,  
Tu nitidum patriæ lumen bonosque tuæ.  
Te pietas, te sancta fides, te candida Virtus  
Euebit, & rutili iungit ad astra poli.  
Te pietas veneranda colit, quia strenuus aram,  
Verbaq; sincerae religionis amas.  
Te diuina fides, totis quia uiribus ornas,  
Luceat ut veri gloria vera Dei.  
Candida te virtus, largis quia sumptibus artes,  
Castraque Pieridum religiosa foues.  
Sic Pietas, sic sancta fides, sic candida Virtus  
Te beat, & celebri ditat honore Patrem.  
Vine igitur longos, AEGIDI clare, per annos,  
Viuat & aeterno nomen in orbe tuum.

REVE-

REVERENDO IN CHRISTO PATRI,  
 prudentia , vitæ & morum integritate eminentissimo  
 Domino, d. IOANNI HANTERO, Abbatii Vlierba-  
 censis monasterij clarissimo, & Mecenati suo.

**S**Plendide Mecenas, HANTERE, grauissime Praesul,  
 Clara Brabantini gemma decusque soli.  
 Dexteritas animi, candor, laudataque Virtus,  
 Ut magnis, faciunt, annumerere viris.  
 DEXTERITAS, quæ sola tuos, haud noxia, mores  
 Format, et est vitæ docta magistra tuæ.  
 Candor, ut insignes inter pietatis alumnos,  
 Mansuetu studio corda polita geras.  
 At Virtus, quia praua fugis commercia Vitæ,  
 Strenuus & iusto quæ facienda, facis.  
 Ut taceam, quam magna tuae solertia vitæ  
 Insit, ut æternus conficiatur honos.  
 Ut taceam, miseris quam sis propensus egenis,  
 Pauperibus largam dum pius addis opem.  
 Ut taceam, teneras foueas quam sedulus artes,  
 Dum nemus Aonium qui coluere, colis.  
 Viuat ob id cunctos HANTERI fama per agros,  
 Viuat, & æterna laude superstes eat.

IOACHIMI TYDICHII  
ADMODVM REVERENDO, CLARO,  
& magnifico, d. BENEDICTO ARIAE MONTANO,  
Hispano, militiae Diui IACOBI strennuo defensori, Viro  
omnium disciplinarum, linguarum, & scientiarum do-  
ctissimo, honorarium à Germano positum.

**S**Plendide virtutum cultor, MONTANE, sacrarum,  
HISPANI rutilans gemma decusque soli.

Huc ades, & mentem grauioribus exuerebus,  
Quas tua regali nomine cura subit.

Et cape perpetuam Pallas quam docta coronam  
Mittit ab Aonijs ad tua teclaiungis.

Illa (nisi fallor) Lauro contexta virenti  
AE ternum lepidi pignus amoris habet.

Scilicet eternos formosae vt frondis honores  
Laurus habet, teneras pandit & alta comax.

Sic viret, & caelo te gloria taudibus æquat,  
Gloria, quæ Diuis te facit esse parem.

Tu Pater eloquij, variae tu gloria linguae,  
Tu decus es Phæbi, Pierique chori.

Seu libeat Graijs, aut concertare Latinis,  
Dulcia vel Syrijs verba mouere modis.

Aut Hæbraea suo disponere dogmata sensu,  
Aut Arabum nodos enuncleare graues.

Promptus es, unde suo promanant singula cultu,  
Vt fluit è sacro Pægasis vnda iugo.

Quamque

L I B E R P R I M V S.

Quamque solet varijs ver pingere floribus arua,  
Tot gerit immixtos lingua diserta sonos.  
Nec mirum, si te multa pietate PHILIPPVS  
Maximus Hispano R E C T O R in orbe, colat.  
Nec mirum, maiora licet tibi munera donet,  
Quam sacra si sancti Militis arma geras.  
Nam quod diuerso scriptura Idiomate sancta  
Luceat, officio debet id omne tuo.  
Vnde etiam pugnans ECCLESIA iure fatetur,  
Senibil ingenio maius habere tuo.  
Sed quo plura cano, mihi plura canenda supersunt,  
Impar Elogijs obruor ipse tuis.  
Interea meritam tenui sub carmine Laurum,  
Aonij, capias, dulcis alumne iugi.  
Teque suum reducem bellax HISPANIA dignis  
Laudibus, & memoris semper honore colat.  
Utique tuum maneat GERMANO nomen in orbe,  
Sint ea verticibus ferta parata tuis.

VENERANDO, ERVDITIONE ET  
Vitæ integritate præstantissimo Viro, D. CORNELIO  
CORNELII, Iuris utriusque Licentiato, Cantori & Ca-  
nonico Antuerpiano, *anposiχor*, quod hanc expe-  
dit sententiam, CORNELIVS CORNELI  
CANTOR, VIVAT.

C 3

Corneli

IOACHIMI TYDICHII.

CORNELI patrie decus & laus unica gentis,  
O bliqui rutilans stella nitorque soli.  
Rauca licet titubent clamose guttura vocis,  
Nec fluat argutis Musula nostra sonis.  
Excepit illa tamen meritæ præconia vita,  
Laudatasque tui pectoris ornat opes.  
Illustratque canens doctas quam sedulus artes  
Viceris, & bifidi culmina celsa iugi.  
Summa tibi teneras seclari Palladis artes  
Curta fuit, magnum scire secunda D E V M.  
Ocia quare puer fugiens luxumq; fluentem,  
Rite Medusæos veneratus agros.  
Naturaque colens operaria dona potentis,  
Eloquij summas es imitatus opes.  
Legibus inde fori iuuenilia tempora vertens,  
Impiger ingenium iura per ampla dabus.  
Corripiens celebres L I C I T I sermonis honores,  
Aequa tuis qui sunt præmia, BALDE, viris.  
Nil omninus sacras volitans studiosus ad aras,  
Triste fori pelagus participando, canis.  
Oraque melliflua misces resonantia voce,  
Rectoremque moues in tua vota D E V M.  
Vt mala depellat diris contagia bellis,  
Imminuatq; suo noxia damna gregi.  
Vtue igitur longos, CORNELI CANTOR, in annos,  
Attingantque tui secula mille dies.  
Teque sciat presens, et quæ Ventura sequetur  
Fama, per instantes non peritura dies.

VENE.

LIBER PRIMVS.

VENERANDO, CLARO, PRAESTAN-  
ti<sup>que</sup> Viro, D. IACOBO ANTHONI, Antuerpianæ  
Ecclesiæ Thesaurario & Canonico eximio, <sup>ἀντοσίχον</sup>,  
cui hic sensus, IACOBVS ANTHONI  
THESAVRARIVS.

I Nteger & nulli veterum pietate secunde,  
A NTHONI patriæ gloria prima tuæ.  
C onor in excelsas calamo descendere laudes,  
O blitam capiat ne tua fama necem.  
B rum a sed hybernum veluti premit algida frigus,  
V rit & immensum vi strepitante solum.  
S ic quæ Musa prius resonantia plectra ciebat,  
A lget & ingenuam lassa recusat opem.  
N il omnis celeri modulabile carmen auena,  
T ibia rurestres suntque datura sonos.  
H os tua dexteritas & laus tua splendida cantus,  
O bsequium virtus & tua mite iubet.  
N ubila purgato fugiunt velut humida cœlo,  
I gnea cum roseos Luna ministrat equos.  
T e Duce, sic Pietas tetris erepta tenebris,  
H esperium profert clarificata decus.  
E xcilioque soluta truci, te iactat alumnum  
S ponfa coruscantis sanctificata DEI.  
A rdua namque iuuans diuini semina verbi,  
V ipereum forti pectore dogma fugis.  
R ecto distribuens sacras ordine Gazas,

Atria

IOACHIMI TYDICHII.

A tria si præceps, sancta, ruina premat.  
R ipa tuas igitur dictabat garrula laudes,  
I n mare dum voluet SCALDIS amænus aquas.  
Vtque tuum nomen, post busta voracia, vivat,  
Sit tua per versus gloria nota meos.

VENERANDO, CLARISSIMO, VIR-  
tuteque integerrimo Viro, D. GODEFRIDO VVESELS,  
I. V. Doctori egregio, Scholastico & Canonico Antuer-  
piano, nec non reuerendissimi Episcopi Antuerpi-  
ensis Sigillifero, *ανποσίχον*, cui hic sensus,  
GODEFRIDVS VVESELIVS  
DOCTOR, VIVAT.

G argara quot segetes, quot habet Methymna racemos,  
O ceanus refluis vel quot abundat aquis.  
D iuite tot cultu preconia clara super sunt,  
E ximijs citharæ concelebranda modis.  
F istula magnificas canat ergo garrula laudes,  
R itè tuum spargens, o GODEFRIDE, decus.  
I llecebras fugiens fallacis et ocia mundi  
D ulcia, Phæbas es veneratus opes.  
V ritutemque Duce m tenero sub flore sequutus,  
S ordida vita sti castra, malumque nefas.  
VV latus & ingenuas quas odit inutile Musas,  
E xul ad extremos es imitatus agros.  
S ed cum transferat primæ lanuginis ætas,

Legis

## LIBER PRIMVS.

**L**egis es ingressus Iura, & iamque fori.  
**I**TAL A frugiferos tellus quæ paridit amictus,  
**V**erticibus tribuit quæ diadema tuis.  
**S**plendeat ut flavis niteatque imposta capillis,  
**D**OCTORIS titulo mitra superba tuo.  
**O**rnat illa tuum tali de munere nomen,  
**C**aesarei nōris Iura quod ampla fori.  
**T**urbine quassatosq; iunes ut prouidus ægros,  
**O**fficij poscant si pia vota tui.  
**R**egia sic foueant igitur te numina cœli,  
**V**t peragas vita mollia fata tua.  
**I**nduat & tali virtus te candida veste,  
**V**iuis ut æterna laude superstes eas.  
**A**stra que Pacificum capiant veneranda SCHOLARCHAM,  
**T**eque suum tollat turba pusilla Ducem.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI,  
 nobilitate generis, prudentia virtuteque clarissimo Do-  
 mino, D. CAROLO A LINDEN, PARCENSIS  
 monasterij, prope Louanium, Abbatii,  
 Musarum Mecænati munifico.

**C**AROLE Mecænas, & auitæ gloria vita,  
 CAROLE saluificæ religionis honor.  
 Si mea compositos belli Martisque furores  
 Cerneret, & placide Musula pacis opus.  
 Tuuc forsan te digna darem, tunc laurea forsan

D

Serta

IOACHIMI TYDICHII

Serta forent vires exhibitura suas.

Sed quia crudeles, quauis sub parte, tumultus

Sentit, & armigeri castra nefanda Dei.

Sic gemebunda tacet, dubij sic nescia finis

Languet, & integrum Musa recusat opem.

Non secus, ac roseos Phæbus cum lucidus ignes

Soluit, & illustri pandit ab ore diem.

Concinit arborea dulcis Philomela sub umbra,

Atque alias molli carmine vincit aves.

Cum ruit horrificis furiosus nubibus imber,

Et furit impulsas Africus inter aquas.

Illa fugit, latebrasque petit sub montibus altis,

Pro volucrum cantu ventus & vnda gemunt.

Sic que Musa prius molli dulcedine cantus,

Et dabat argutis dulcia plectra modis.

Illa sub obscuris latitans sine nomine teclis,

Dum furiosa timet prælia, moesta filet.

Nil ominus laudum praconia clara tuarum,

Lassa licet titubet, dicere Musa studet.

CAROLE, te nemo longis prudentior annis,

Nemo toga maior iusticiaque fuit.

Nam tibi præclaras culto sub pectore dotes,

Iugenumq[ue] sagax, docta Miuera dedit.

Nuper ut Hispano Virtus tua prouida regno,

Et grauitas animi splendida, visa fuit.

Dum tua magnifico commissa negocia Regi,

Intrepidoque grauis pectore verba dabas.

Vnde

LIBER PRIMVS.

Vnde micans virtus, felixq; peritia fandi,  
Dignaque maiestas cognita laude fuit.  
Adde, quod aeternas diuini nominis aras,  
Et studium verae religionis ames.  
Dum sacra defendis diuini dogmata cultus,  
Dogmata, per sanctos vndique sparsa patres.  
Vna tamen laus est dignissima visa relatu,  
Ingenitam certe quam propè solus habes.  
Ingenuas largis ornas quia sumptibus artes,  
Et quacunque potes parte iuuare, iuuas.  
Ergo sub immenso vigeat tua gloria mundo,  
Et tuus aeterna laude feratur honos.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI,  
nobilitate stemmatis, Virtute, grauitateque ornatissimo  
Domino, D. IOANNI A LINDEN, monasterij  
S. Gertrudis prope Louanium Abbatii,  
Mecenati Doctorum egregio.

M<sup>A</sup>gne Camænarum splendorque decusque Dearum,  
IANE nitens generis lumen amorque tui.  
Te genus, & Pietas, & honestæ gloria vitæ,  
Inclyta te virtus clara sub astra vebit.  
Te genus exornat: claræ quia nomina gentis,  
Et vetus à celebri stemma parente trahis.  
Te Pietas memoranda colit, quia lassa iuuamen  
Insuenit, & certam te penes haurit opem.

IOACHIMI TYDICHII.

Et quia constanti<sup>q</sup>; fide studioque fideli,  
Intrepidaque manu dogmata prisca foues.  
Sic expulsa tuum furiosa per arm*a* fauorem  
Sentit, & optat*a* gaudia pacis habet.  
Adde, quod ingenuas largis cum sumptibus artes,  
Cordique Pierio fonte rigata, colas.  
Adde, quod afflictos varijsque laboribus auctos,  
Et male paupertas quos premit ægra, iuues.  
Pro quibus officijs, placidæ det mollia vitæ  
Fata tibi, summus, qui regit astra, D E V S.  
Interea rutilis viuat tua fama sub astris,  
Notaque per cunctos gloria clara dies.

HONORABILI, VITÆ ET MORVM  
integritate præstanti Viro, D. BARTHOLOMAEO THVR-  
LANDO, Hispano, Canonico Antuerpiano insigni.

Clare vir, Hispani non infima gloria regni,  
Stella nitens patriæ, BARTHOLOMAE, tuæ.  
Non igitur nostræ, restant quia plurima, Musæ  
A meritis aberunt laudibus atque tuis.  
Nam pius æternæ commercia dulcia vitæ,  
Et studium sanctæ sedulitatis amas.  
Dignaque contribuens saluantibus ocia rebus,  
Impia sollicito peccore facta fugis.  
Quinetiam teneras generosæ Palladis artes,  
Et nemus Aonium qui coluere, colis.

Porrigit

LIBER PRIMVS.

Porrigit et largam multo cum fœnore dextram,

Quos mala pauperies, & graue vexat onus.

Viuat ob id totum THVRLANDI fama per orbem,

Vinat, & adiuncta cum pietate micet.

HONORABILI', VITAE ET FIDEI  
synceritate, doctrinaque ornatisimo Viro. D. HENRICO  
ZIBERTO à Dunghen, sacrarum literarum Doctori,  
Canonico Antuerpiano egregio, *anposizov.*

**H**anc tibi, quam cernis, Musæ posuere coronam,  
E tu niueum certi pignus amoris erit.

I lla(nisi fallor) Lauro contexta virenti,  
N escit ad interitum (crede) venire suum.

R espuis, an teneram sumes, HEINRICE, Thaliam?  
I lla tuos penetrat, non bene compta, lares.

C lara quod effecit Pietas, quod candida iusit  
V irtus, cumque suis laus comitata bonis.

S cilicet ingenuas studium tibi nobile Musas,  
A tque DEVM semper noscere cura fuit.

D umque iuuat varios hominum cognoscere mores,  
V isa tibi subito Martia ROMA fuit.

N obilibus quæ te studijs formauit & auxit,  
G rata ferens capiti dona gradumque tuo.

H inc ubi te studium sacras traduxit ad aras,  
EN graue te Canonum mergere caput onus.

D ansque laboriferæ non ultima præmia vita,

IOACHIMI TYDICHII

O bt ulit insignem, Scaldis ad ora, locum.  
C larus ubi summa MARIAE genetricis in aula  
T empla beata colens, ocia vanafugis.  
O rbe igitur toto resonet tua fama superstes,  
R egia traducens nomen ad astra tuum.

VENERABILI, HUMANITATE, M  
orum & vitæ splendore eximio Viro, D. ADRIANO  
MALEPERTO, Hannoniensi, Canonico  
Antuerpiano præstanti.

C lare vir, & summi Mysteriis venerande Parentis,  
HANNONICI rutilans lux, ADRIANE, soli.  
Non minor es reliquis, quos Musula cantat, alumnis,  
Ergò mihi merita laude vehendus eris.  
Te probitas animi commendat, & omnibus ornat  
Dotibus ingenij, teque sub astra vehit.  
Te pia Religio veneratur & ardua virtus,  
Teque suum Pietas iactat auita ducem.  
Te Phœbus facundus amat, doctaque Camæne,  
Teque suum vocitat turba Nouena Patrem.  
Adde, quod oppressos grauium præ pondere rerum,  
Et male pauperies quos grauat ægra, iunes.  
Ergò tuum toto memorabile nomen in ævo  
Floreat, horrisonas dum mare voluet aquas.

REVE.

## LIBER PRIMVS.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI,  
 pietate, vitæ, & religionis ferore integerimo, Domino  
 EVERARDO BACXIO, Bruxellensi, Religiosi  
 Conuentus Petri Potz, intra Antuerpiam,  
 PRIORI fædulo.

**R**eligiose PATER, fidei pie tutor auitæ,  
 Et decus & prisæ relligionis amor.  
**Q**ualiter occiduo condens iubar æquore Titan,  
 Exuit aureolum, pronus ad ima, decus.  
**S**ic tua (quod doleo) celeri pede proripit ætas,  
 Teq[ue] suum repetit terra supina senem.  
**V**t tamen imperium mortis crudele ferocis,  
 Et fugiat rapidas nomen honosque manus.  
**S**ictibi perpetuam Pallas hanc innuba Laurum  
 Mittit ab Aonijs, ad tua templa, ingis.  
**Q**quam Pietas meruit, meruit quam prouida Virtus,  
 Virtus, innumeris concomitata bonis.  
**D**um geris humanos, niueo sub pectore, mores,  
 Mores, magnificis pabula grata Viris.  
**Q**uos tibi conciliat candor, probitasque fidesque,  
 Et grauitas tanto digna decensque viro.  
**N**am dolus omnis abest, fucum neque nutris inanem,  
 Nec tua ventosus pectora fastus alit.  
**S**ed grauis authoritas, grauis & prudentia mentem  
 Flectit, & est animi sola magistra tui.  
**A**mbiat ergo tuos æterno flore capillos  
 Laurus, ut æterna laude superstes eas.

VENE-

IOACHIMI TYDICHII.

VENERANDO, PIETATIS CANDORE,  
re, eruditione, & mansuetudine insigni Viro, D. SIMONI  
MOERS, Sacrae Theologiae Licentiato,  
Canonico Antuerpiensi.

**E**t tua, saluificæ Mystæ venerande palestræ,  
Nomina sunt plectris concelebranda meis.  
Quippe facit Pietas, & doctæ gratia lingua,  
Vt tuus ingenti laude feratur bonus.  
Dum sacra defendis divini dogmata cultus,  
Dum doces ad mores astra petenda tuos.  
Dum castæ pietatis opes sectaris amicas,  
Dum colis ornatu templo corusca suo.  
Adde tamen castos casto sub pectori mores,  
Adde serenatum, sub pietate, iubar.  
Et velut Aonias placidis virtutibus artes,  
Iugiter & doctos promoues usque viros.  
Sic tua perpetua sint dedita tempora Lauro,  
Viat ut æternò nomen honore tuum.

VENERABILI, VITÆ HONESTATE,  
facundia & pietate ornatissimo Viro, D. SEBASTIANO  
BAER, Sacrarum literarum Licentiato, Plebanus  
& Canonico Ecclesiæ cathedralis Antuer-  
piensis, Theologo disertissimo.

Tu

LIBER PRIMVS.

**T**V verò æterni Præco fidissime verbi,  
Ignoto viues pauper inopsque loco?  
Nec (velut emeruit Pietas) ventura videbit  
Posteritas vitæ facta statumque tuæ?  
Absit, ut intereat vita tua fama peraclæ,  
Absit, ut intereat nomen bonosque tuum.  
Tu sacer ætherei, velut Oedipus, ardua Verbi  
Sensa doces, linguae non sine dote tuæ.  
Et velut aërijs resolutus nubibus imber  
Suscitat exhaustum sole nitente solum.  
Sic tua facundæ facunda peritia linguae  
Erigit abductos in leue dogma greges.  
Hinc vafer hæreticus rigido te saeuius angue  
Odit, amat Pietas te sed auita Ducem.  
Ergò dabit citius rutilantia sydera tellus,  
Ergò dabit citius flammeus ignis aquas.  
Quam tua Læthææ demergant nomina ripæ,  
Fluxaue sit laudis fama futura tuæ.

VENERANDO, ERVDITIONIS EX-  
cellentia, pietate & vitæ synceritate ornatissimo Viro, D.  
SILVESTRÌ PARDO, sacrarum literarum  
Licentiato, Canonico Antuerpiensi  
admodùm sædulo.

**T**V quoque SILVESTRIS referens cognomina PARDI,  
Docte vir, æterna laude canendus eris.

E      Nam

IOACHIMI TYDICHII

Nam velut insequitur refugum pede Pardus anhelo,  
Cernit ubi partus pignora rapta sui.  
Festinatque celer, nulloq; mouetur ab ictu,  
Dulce sui videat dum modò ventris onus.  
Sic distracta dolis & falso peccata ritu  
Rapti, sub æterni ducis ouile Dei.  
Quod facit exultæ dines facundia linguae,  
Quod facit ingenij gratia docta tui.  
Gratia, quæ doctas mansueti peccoris artes  
Euebit, atque animi dona superba tui.  
Nam te (fama velut loquitur) vix doctior alter,  
Nec magè discretum Scaldis amænus habet.  
Adde quod oppressis duræ per pondera vitæ,  
Munificam præstes largiter usque manum.  
Adde, quod & doctas, doctissimus ipse, Camænas,  
Et nemus Aönium qui coluere, colas.  
Viuat ob id viætrix SILVESTRIS gloria PARDI,  
Viuat & ingenij lucida fama tui.

VENERANDO, VITAE ET MORVM  
integritate, pietateque elucidato Viro, D. LAURENTIO  
STERCK, collegiatæ Ecclesiæ Bruxellensis  
Cantori & Canonico eximio, &c.

L AVRENTI patriæ decus & lux inclyta stirpis,  
Splendide sincera relligionis honor.

Clara

LIBER PRIMVS.

Clara mibi Pietas iniunxit, claraque virtus,  
Spargere naturae splendida dona tuæ.  
Musa sed immensum nescit tolerare laborem,  
Nam grauat ingenium laus tua clara meum.  
Scilicet ingenuas seclatus Apollinis artes,  
Prima Deum semper noscere cura fuit.  
Et fidei sincera colens mysteria sanctæ,  
Sedulus æternas es veneratus opes.  
Donec honoratas Christi conductus ad aras,  
Dulce Deo tepida fundis ab arte melos.  
Surgit ubi magni prænobilis aula PHILIPPI,  
Aula BRABANTINO nobilitata solo.  
Munus ibi digni CANTORIS nobile tractans,  
Porrigis irato thura precesque Deo.  
Pauperibus largam largo cum fœnore dextram,  
Donaque dans miseris non periunda Viris.  
Pro quibus officijs magnus tibi Rector Olympi  
Cœlestis tribuat gaudia vera poli.  
Interea æternam, duce me, tua gloria famam  
Seruet, ut æterna laude superstes agas.

VENERABILI, PIETATE, MORVM-  
que comitate insigni, D. ANDREAE MANRICO, Cano-  
nico Antuerpiano præstanti, &c.

**N**Ilminus æterno, MANRICE verende, sub ævo,  
Versibus his viues atque superstes eris.

IOACHIMI TYDICHII

Nam genus & Pietas, & honestæ gratia formæ,  
Et pia te probitas alta sub astra debet.  
Qualiter auricomus flos intemeratus in horto,  
Gramineum dulci compleat odore solanum.  
Sic roseo vernas formosæ flore iuuentæ,  
Illustri iuuenis corpore, mente senex.  
Hoc faciunt niuei, culto sub pectori, mores,  
Et probitas, animi candida signa tui.  
Pergè modò recta, quò te vocat ardua virtus,  
Ingenij pereant ne bona tanta tui.  
Sic tua laus seros olim mansura per annos  
Vinet, & insigni laude perennis erit.

VENERANDO, RELIGIOSO, ERV.  
ditione pietateque eximio, D. IOANNI SMEYERIO,  
Diui Bernhardi alumno, & Priori in Heusden, &c.

SMEYERI Clarij non ultima gloria fontis,  
HEVS DIACAE Rector, IANE Verende, domus.  
Tu quoq; perpetuo celebrari dignus honore,  
Et memori semper laude vehendus eris.  
Solertis peragis qui munia digna PRIORIS,  
Officij præstans debita iura tui.  
Dum geris atrato niueam sub tegmine vestem,  
Votaque Bernhardi dum Patris alma colis.  
Vota, quibus mores habitu candente serenos,  
Puraque sinceri pectoris acta probas.

Vota,

LIBER PRIMVS.

Vota, quibus nigra terrenos veste furores,

Et fugis humani gaudia vana soli.

Vota, quibus prauos animi constringere motus,

Et rabiem forti frangere corde soles.

At quia Laurigeros adamisque colisque Poetas,

Rite fauens doctis, doctus & ipse viris.

Sic, duce me, viuat tua gloria sparsa per orbem,

Gloria, per seros non moritura dies.

VENERANDO, RELIGIOSO, PIETA-

tisque cultori egregio, D. IOANNI LATOMO,

in Throno Priori optimo.

L ATOME Pieridum fautorque decusque Dearum,  
BERNHARDI Praes, IANE, Verende Patris.

Gloria perpetuo cingat tua tempora cultu,

Ambiat & crines Laurus amena tuos.

Qui placidos nutris docto sub pectore mores,

Et geris ornatu corda serena pio.

Qui velut ingenuas veneratus Apollinis artes,

Semper & Aonias es imitatus opes.

Sic adamas doctas, docto feruore, Camenas,

Sic nemus Aonium qui coluere, colis.

Vine THRONI Pylios igitur PRIOR optime menses,

Et capiant summi te pia regna throni.

IOACHIMI TYDICHII  
VENERABILI, INGENII FELICITATI  
te doctrinaque exculto, D. GASPARO OLTHOVIO,  
Canonico Antuerpiensi.

**H**AEC GASPAR E tuis Pallas generosa coronam  
Addit, & hanc Laurum donat amica comis.  
Ut siet internæ signum inviolabile mentis,  
Et referat Vatis corda serena tui.  
Qui procul Arctoo peregrinus sydere natus,  
Ingenij sensit ditia dona tui.  
Dona, quibus pascis Vere pietatis alumnos,  
Dulce quibus nomen faxea Testa dedit.  
Ergo tuo pergas post hac incumbere vati,  
Sisque memor, socium vatis ad astra trahi.

VENERABILI, EGREGIOQUE PIETATIS CULTORI, D. PETRO GVALTHERO, in Antuerpiensi Ecclesia cathedrali Præsbytero, amico suo.

**P**ETRE mibi reliquos inter memorande sodales,  
Hoc tibi sinceri pignus amoris habe.  
Qui velut es fidei non vilis alumnus aitæ,  
Et patrium forti pectori dogma colis.  
Sic sincera geris vano sine pectora fuso,  
Sic tua mens rigida fraude dolique caret:  
Ergo velut virides expandit sylva racemos,  
Sic, GVALTERE, tuum nomen in orbe micet.

FINIS LIBRI PRIMI.



